

*Hymne des Apôtres.*

Exultet cœlum laudibus.

Resultet terra gaudiis:

Apostolorum gloriam

Sacra canunt solemniter.

Vos, sæcli justî iudices,

Et vera mundi lumina,

Votis precamur cordium;

Audite preces supplicum.

Qui cœlum verbo clauditis

Serasque ejus solvitis,

Nos à peccatis omnibus

Solvite jussu, quæsumus.

Quorum præcepto subditur

Salus et languor omnium

Senate ægros moribus,

Nos reddentes virtutibus.

Ut, cum iudex advenerit

Christus in fine sæculi,

Nos sempiterni gaudii

Faciat esse compotes.

Deo Patri sit gloria

Ejusque soli Filio,

Cum Spiritu Paraclito,

Et nunc et in perpetuum Amen.

*Pour un Martyr.*

Deus tuorum militum

Sors et corona, præmium;

Laudes canentes Martyris,

Absolve nexu criminis.

Hic nempè mundi gaudia

Et blandimenta noxia

Caducæ ritè deputans,

Pervenit ad cœlestia.

Pœnas cucurrit fortiter,

Et sustulit viriliter;